



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quae sint magna bona, quae Deus nobis per parentes nostros facit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

fa Dei pietas erga genus humanum. Ipse dat parentes per quos nos creat & nutrit: dat Angelos, qui custodiant, seruent atq; seruiunt, Hebr. 1. Mat. 8. d. nat nobis Christum redemptorem, per quem nos saluat, Ioan. 2. Debemus ergo his Dei donis maxime honorem & gratiarum actionem Deo, atque ex animo petere, vt Deus nobis hæc conseruet, quàm maxime ipsos parentes. Multa enim incommoda habent Orphani pueri & derelicti à parentibus. Tùm autem nobis Deus illos cõseruat, cum eos colimus & timemus, si quando irascuntur, ne iram illorum contempnamus, quandò illis debitam obedientiam præstamus. Sæpè etiam priuat Deus filios parentibus, propter illorum contemptum & inobedientiam: aut parentes, aut contumaces filij antè diem moriuntur, nam habet hoc præceptum promissionem longæ vitæ. Ideò vult Deus, vt honorentur parentes propter suum præceptum & donum, quia ipse nobis parentes dedit.

2. Secundò, sunt multa bona quæ nobis Deus confert per parentes: ideò maxime vult, vt honorentur illos, primùm, quia parentes sunt instrumenta, quæ nos Deus creat, & in mundum nasci facit. Quandò enim iam Deus creat hominem, non accipit materrem adhuc, sicut in paradiso fecit, sed accipit patrem & matrem, & finit eos procreare proles: sic est pro opus bonum, quod Deus per parentes nobis facit, quia creat nos, & donat nobis vitam: hoc non possent facere vir & mulier, nisi Deus sic ordinasset: ipse crearet filios: quibus enim non vult dare prolem, illi manent steriles. Sæpè etiam sancte steriles intrarunt precibus à Deo fructus, sicut Anna 1. Reg. 1. Et Sara Gen. 15. Alterum bonum opus quod Deus nobis per parentes facit, est quòd nos, postquam nati sumus, enutrit. Non enim dat nobis cibum de celo, sicut patribus olim Manna in deserto, sed de

NG.

matri lac in vberibus, & patri diuitias, vnde nos educare & vestire possint. Videmus enim, quàm difficile se habeant pueri in illo statu, quo seipfos iuuare non possunt: & nisi Deus per parentes eos conseruaret, omnes in pueritia perirent. Ideò Tobias senior docuit filium, vt memor esset matris, & cogitaret quanta pericula passa esset propter eum in vtero., Tob 4. Tertium bonum opus est, quòd Deus dat nobis Christianos parentes, qui nos faciunt baptizari & institui in fide & religione. Nam si parentes nostri non forent Christiani, non baptizaremur, donec adulti ipsi peteremus baptismum. Si ergò haberemus infideles parentes & moreremur sine fide & baptismo, omnes damnaremur ex sententia CHRISTI, Ioannis. 3. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. magnū est ergò beneficium Dei, Quod nos per parētes adducit in Christianismum. Rursus, Postquàm iam aliquo modo creuimus, & annos habemus vt doceamur in verbo Dei, tunc docet nos Deus meliorem & necessariam doctrinam per parentes, nempe decem præcepta Domini, orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, catechismum & cæt. quod licet alij nos doceant, vt potè in scholis aut in Ecclesia, tamen hoc factum est per commissionem Parentum & stipendium. Nam & hoc illis etiam præcepit Deus, Ephesio. sexto Colof. 3 scilicet vt in doctrina & correctione Domini proles suas educarent. Docent præterea nos parentes honestos mores, & artes siue liberales siue mechanicans: vnde inter homines viuere possumus, & nos per illas sustentemus. Habemus denique ab illis portionem hæreditariam, & bona mobilia vel immobilia, quæ omnia Deus nobis per illorum laborem & pietatem distribuit. Ideò pessimi sunt filij, qui non agnoscunt hæc beneficia in parentibus, & qui contemnant aut vili pendunt suos parentes. Si quis diligit instrumentum,, per quod multa elaborauit, cur non

